

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE OFFICINA LATINA HAMMABURGI HABITA


«Latine loqui, Latine loqui, iterum iterumque Latine loqui!» iam iubebat Avennione anno 1956 inter primum «viventis linguae Latinae causa conventum universum» Professor Ericus Burck, cui de pronuntiatu Latino erat referendum. Professor Burck tunc temporis praeses erat Consociationis Palaeophilologorum Germanorum (D.A.V.). Cum eiusdem consociationis consessus hornotinus mense Aprili Hammaburgi haberetur, res evenit miranda: multa verba Latina palam facta sunt. Curantibus enim Professoribus Nicolao Sallmann Mogontiacensi et Andrea Fritsch Berolinensi, Officina Latina instituta est ubi disputaretur de lingua Latina vivo modo docenda; ad quam participandam etiam invitabantur non Germani, quibus licebat praeter sermonem Latinum suum sermonem vernaculum adhibere. Pauci re vera interfuerunt atque dolendum est quod Domina Mortier-Waldschmidt, consociationis generalis Francogallicae C.N.A.R.E.L.A. praeses, litteris personalibus invitata, ne rescripsit quidem.

Magni momenti mihi videntur esse ea quae Latine prolata atque proposita sunt; praecipua excersi, quae lector benevolus ipse iudicare posset.

Primus locutus est Professor **Nicolaus Sallmann**, qui frequentissimos auditores salutavit atque themata in Officina tractan-

da exposuit, id est praecipue: «Estne cur linguam Latinam Latine loquentes doceamus? Estne cur Latinum non Latine doceamus? Quis discit loquelam ne loquatur?» experientiamque suam proposuit: «In mea quidem universitate Mogontiacensi iam ex decernis observavi studiosos qui attente Latine loquentes audirent vel ipsi Latine sermocinarent, etiam si non semper plura scirent, non semper accuratius ratiocinarentur, non semper elegantius verterent e Latina in vernaculam linguam, tamen multo familiares esse Latinitati, maiore studio, maiore applicatione, maiore gaudio versari in litteris Latinis, linguam Latinam non solum plurimi aestimare sed entxe adamare. Pro integra linguae Latinae dignitate, pro incolumi linguae Latinae vigore necnon pro plena voluptate eorum qui linguam maternam nostrarum linguarum non minus amant quam litteras librosque Latinos, prorsus faveo institutioni librorum vitae, i.e. dialogice instituendae et parandae. Ita affectus accedet ad intellectum; ad gaudium sciendi accedet gaudium faciendi; ita Latinitas quasi nova sine robigne priscae antiquitatis locum spectatum in scholis eadem ratione obtinebit ac linguae hodiernae.»


Postea alter Officinae auctor Professor **Andreas Fritsch** inter alia dixit haec: «Quid ego, Dominae Dominique peritissimi, de Latinitate viva in publicis scholis



Haec imago, quae dicitur esse
Rufi cuiusdam, inventa est
Pompeis incisa (cfr p. 12)

adhibenda sentirem, iam saepius et compluribus locis partim Latine partim Theodisce dixi vel scripsi. Vehementer gaudeo quod Nicolao Sallmann maxime hortante in tali conventu palaeophilologorum nisi me omnia fallunt primum post hominum memoriam de usu linguae Latinae, qualis esse vel fieri possit in scholis nostris, quasi publice disceptare licet. Pro isto studio tuo igitur Nicolae, et providentia tua, nos omnes qui adsumus gratiam debemus et habemus.

Tu igitur nos trivitasti et rogas, ut nos quam brevissime nostras opiniones et nostra experimenta sive Theodisce sive Latine proponamus et adumbremus. Hoc mihi eo facilius erit quod hesterno demum die novus libellus meus in lucem editus est qui inscribitur Lateinsprechen im Unterricht: Geschichte, Probleme, Möglichkeiten, i.e. Latine loqui in institutione: historia, difficultates, occasiones. Sed, ut ad rem ipsam veniam, sententiam meam in paucissima verba conferam.



In scholis publicis lingua Latina non, ut inter omnes constat, ut instrumentum communicationis docetur, sed tantummodo quasi ut clavis cuius ope discipulus grammaticam, copiam verborum litterasque humanas antiquas aperire possit. Ita lingua Latina quasi corpus mortuum tractatur, observatur, describitur, secatur. Discipuli linguam Latinam raro audiunt, rarissime aut numquam ipsi adhibent. Quare lingua ets mortua, inhabilis, inutilis, immo vero fortasse etiam inhumana videtur, lingua quae non solum permagnas difficultates secum fert, sed etiam magnos defectus habet. Lingua qua loqui ne magistri quidem ipsi possunt nec volunt.

Tamen nos qui Latinitatem vivam volumus esse, non contra omnes sententias et omnia studia illorum hominum pugnare debemus, qui his triginta annis fere locum linguae Latinae et litterarum Latinarum in rebus scholasticis, didacticis politicisque fortissime et ingeniosissime defenderunt excogitantes nova curricula, novas vias, novas causas linguae Latinae in scholis publicis docendae. Haec pugna esset, certe, inutilis, inepta, mortifera nobis omnibus. At nos qui Latinitati

vivae favemus, etiam illis viris mulieribusque magnam gratiam debemus, qui pro sua parte, pro suis viribus locum Latinitatis in scholis defendebant et obtinebant. Eorum autem argumenta maxime posita erant et sunt quasi in duabus columnis, conscientia linguae critica et notitia profunda historiae et cultus Europae.

Nos igitur non contra illam didacticam modernam frugiferam et fructuosam pugnare debemus, sed, ut ego quidem opinor, huic doctrinae didacticae aliquid addere, aliquid adicere, aliquid immiscere, aliquid infundere debemus. Nos fautores Latinitatis vivae ergo eas partes institutionis Latinae publicae confirmare, adaugere, amplificare debemus in quibus lingua Latina etiam nunc facile reviviscere et viva vox sine ullo labore additicio convalescere possit.

Deinde locutus est unus e paucis non Germanis oratoribus, Professor **Theodoricus Sacré** Antverpiensis: *•Ego vero pro mea parte plus minusve ἱστορικῶς locuturus sum. De scriptoribus enim saeculi undevicesimi de quibus parum est investigatum selectiora mihi allaturo quae ad vivam Latinae linguae institutionem pertineant, plane fatendumst, auditores spectatissimī, plures reperiri qui de sermone Latino studiorum in universitatibus adhibendo disputarint, pauciores vero, quod sciam, qui de scholis secundi ordinis fuisse lateque disceptarint. Quoniam autem illi utrarumque condiciones artius inter se cohaerere senserunt, ex ipsis et scholasticas ut ita dicam sententias colligere et sensa ex altero campo in alterum transfere fas est. Quos ego campos strictim et compresse inspiciam.*

Anno igitur prioris saeculi decimo septimo cum in patria mea (in Belgio dico) redacta in regis Batavorum ditione tres crearentur universitates publicae, cautumst ut Latinus sermo unicus et proprius earum haberetur. Tali autem a lege pleraeque nationes Europaeae paulatim discedebant. Itaque conquesti sunt viri docti, primum quod disciplinae aliae ab aliis seiungebantur; deinde quod, sublato communi inter populos vinclo gentibusque singulis sermonum diversitate quasi inclusis intra saepia, recens inventa non iam facile diffundebantur, ad extremum quod thesauri neolatinarum tam doctrinarum quam litterarum pessum premebantur.

Quibus rebus factumst ut summa illa necessitas Latine in scholis discendi magnam partem discutereetur. Nam disciplinae diversissimis linguis vernaculis tractabantur. Hinc illae lacrimae! Hinc scriptores Latini inde a saeculo duodevicesimo querelis scaturiebant eis quas non semel audistis omnes, auditores. Nonne in addiscenda grammatica Latina nimum temporis consumitur quod utilius in scientiarum acquisitione? O miseram puerorum sortem, qui trahantur in carcerem e quo nisi molestissimis exanclatis laboribus non sint egressuri! Cur tot annos Latine discentes ad interiorē eius linguae notitiam vix unquam accedunt?

Rebus Latinis ita se habentibus nonnulli professores ut reniterentur, linguam antiquam vivo modo denuo profiteri statuerunt. Quam studiorum rationem firmisimīs confirmarunt argumentis; nonne is demum Latine calleat qui, nulla vernaculae linguae ratione habita, scribendo et loquendo ita sese exercuerit, ut Latine etiam cogitet? Nonne aliud est grammaticae, aliud

Latine loqui? Cur ergo leges grammaticas auribus dum continenter inculcatis, colos quasi quasdam discipulis praebetis, quas omnibus quidem e partibus inspiciant illi, quibus vero telas texant numquam? Nonne puerile ingenium ad omnia lusus genera ex natura inclinatur?

Proinde Varronianum illud - delectatio est pro telo ad discendum - memoria tenete. Instituite colloquia faciliora vel ex scriptoris verbis nuper lectis contexta vel e dialogis Erasmi- nis desumpta. Attentos habebitis alumnos, hilares, dociles, qui verba locutionesque quas audierint, cum ipsis usi erunt, memoriter tenebunt, verborum copiam ludibundi augebunt, normas grammaticas mentibus expedite infigent. Ingeniis denique acuentur. Adde themata extemporalia, adde verba viva voce vertenda: nam talia exercitia apud vos Germanos saeculo proximo superiore vige- bant, erant in usu. Multos mihi credite menses lucrificabitis si, quae rationes in sermone patrio naturaliter addiscendo vigent, eas quam proxime imitati vestros in usus contuleritis.»

Doctrix Sigrídes Albert: *«Puto Latinitatem vivam in institutione scholari non esse rem exoticam. E contrario est auxilium pro institutione scholari; Latinitate viva etiam fines generales communesque institutionum Latinarum possunt sublevari et sublevantur ex nonnullis causis.*

Primo enim si discipuli iam a primis horis institutionibus animadvertunt linguam Latinam viva voce prolatam ad communicationem veram esse aptam, eis incitamento magno est ad hanc linguam addiscendam. Nam plerisque discipulis iunioribus nondum est incitamentum internum, qua de causa linguam discant. Illis pulchritudo, vivacitas Latinitatis, gaudia quae ex illa lingua accipiuntur, paulatim sunt pandenda. Et hoc fit etiam usu, non solum deliberationibus theoreticis, quae etiam sunt necessariae, nihil contradicam. Nam omnes homines etiam gaudent si linguam aliquam addiscunt et etiam nonnulla verba proprio Marte sua sponte proferre possunt.

Secundo si in institutionibus discipuli atque magistri etiam Latine loquuntur, fit variatio vere delectabilis et variatio, ut omnes scimus, semper est necessaria.

Tertio discipuli, quibus loqui et agere licet, ipsi activi esse et fieri possunt. Nam activitate et agendo res melius discuntur atque memoria tenentur quam si solum passive recipiuntur.

Quarto activitate propria discipuli etiam linguae structuras grammaticales et aliorum modum dicendi vivendique imprimis melius faciliusque perspiciunt. Nam loquendo atque audiendo ipsi structuras grammaticales recte adhibere vel statim recognoscere debent.

Quinto, insuper melius efficaciusque ipsi tales structuras exercent quam solum legendo.

Sexto, hoc modo generaliter sensus subtiliores quoad linguam Latinam sibi acquirunt. Nam facilius



Prof. Nicolaus Sallmann
et Andreas Fritsch

intellegerunt differentias stylisticas.

Septimo denique, si quaedam consuetudo loquendi discipulis est, etiam facultates textus originales legendi atque intellegendi augentur. Sed necessarium est ut non ab initio omnia statim exspectemus, sed necessarium est et maioris et maximi momenti est ut ab rebus facilibus et facilioribus incohemur et ad difficili- ores tunc progrediamur.»

Omnium Latinitatis vivae fau- torum notissimus Doctor P. **Cae- lestis Eichenseer** cum alla tum dixit haec: *«Sunt in Germania Con- foederata Occidentali aliqua decem milia magistrorum magistrarumve linguae Latinae. Sed vix quisquam eorum Latine loquitur, id quod valde dolendum est, sed plerique suo iure optimo dicunt hoc in studiorum uni- versitate disci non potuisse. Et haec est res non neganda.*

Nihilominus necessarium est ut magister unam alteramve sententiam ipse fingere possit. Non est necessarium ut magister habeat orationes pro Archia poeta vel contra Verrem, sed necessarium est ut non- nullas sententias proferre possit.

Si mihi liceret, ego postularem ut unusquisque magister saltem unum librum Latinum sive antiquitatis sive temporis humanistici in singulis annis legeret; quia nonnulli sunt, excusate quaeso, nonnulli sunt qui quotannis quinque capitula Livii legunt, decem Gaii Iulii Caesaris et nonnulla capitula Ciceronis. Et ex tali lectione vera vita non oritur. Plura sunt legenda et tunc etiam facilitas linguae Latinae plus percipitur.

Mihi erat Deo gratias occasio ut in thesauro linguae Latinae per multos annos multos libros perquirerem et hunc in modum expertus sum non solum duos auctores antiquos existere sed ducentos triginta, quadraginta. Et quod tot vidi, animadverti linguam Latinam tam amplam esse, tam mirificam, tam singularem ut eam interire non liceat. Ob eam causam rogo vos, summis precibus vos rogo ut plura legatis, ut etiam nonnulla loquamini.»

Ego paucissimis volui monere haec: *«Ad schola- rem institutionem Latinam servandam confirmandam- que, non sufficit methodos novas easque vividiores ex- cogitare vel experiri, sed imprimis oportet aequalium nostrorum communem de Latinitate opinionem inflec- tere. Nam discipulis disciplina Latina praebetur ut optima mentis exercitatio sed omni usu carens; paren- tum excultiores adhuc putant suis liberis decori esse linguae Latinae paululum studere; cur certo nesciunt; eis sufficit pondus inveteratae venerabilisque traditio- nis; magistri ipsi in schola necnon in studiorum uni- versitate iterum iterumque audiverunt linguam Latinam esse mortuam atque ad usum non pertinere, quin etiam eius usum hodiernum esse quasi sacrilegium! Lin- guam Latinam docere... ne adhibeatur; stupendum!*

Quibus condicionibus, scholaris institutio Latina ad extinctionem sine ullo dubio mox adducetur, cum ae- quales nostri nihil aestiment nisi quod ad usum perti-

neat. Idem necessario sentiunt diurnarii, qui oracula hodierna per typos vel undas Hertzianas edunt.

Politici qui rei publicae gubernaculum tenent, ne mergantur caute navigant inter Charybdem et Scyllam, id est inter opinionem publicam et globos hominum pondere pollentes.

Quae cum ita sint una superest via ad institutionem Latinam in Europa mutandam: globum internationalem colligere ex docentibus magnae auctoritatis, qui sincere putent iterum favendum esse usui linguae Latinae in hodierno contextu historico Europae atque operam dare velint ut tandem iterum liceat linguam Latinam docere ut veram linguam ad usum aptam.

Peractis orationibus, **Marius Alexa** tria vota legit, quibus concluderetur Officina: «Conventus hic noster commendet:

- primo, ut etiam inter proximos conventus philologorum classicorum agatur de Latinitate viva;

- secundo, ut usus sermonis vivi inter conventus ipsos augeatur et adiuvetur ab ipsis administratoribus;

- tertio, ut consilium perpetuum instituat Latinitati vivae in scholis promovendae.»

Quae vota comprobata sunt plerorumque participum suffragiis magno cum plausu.

In fine Professor Nicolaus Sallmann Professorem **Valahfridum Stroh** Monacensem, ut oratorem facundissimum, invitavit ad verba finalia facienda. Qui



Prof. Valahfridus Stroh

noluit de suggestu loqui, sed maluit inter gradus ambulare dum auditores hilariter fuseque alloquitur: «Ego quotienscumque magistris Latinis suadeo ut Latine loquantur cum discipulis suis, tum dicere solent: «Ah, tu es professor splendidus in universitate! Tu cum doctissimis adolescentibus splendida potes facere colloquia cottidiana! O quantae tibi fortunae datae sunt! Sed nos, miseri homines (risus), in quanto infortunio vivimus! Cum stupidis puellis puerisque vivendum est! Vix ullum verbum discere possunt! Ergo nunc unam vobis historiam afferam unde ego

vobis exponam utilitatem loquendi in scholis. Viginti et unum annum natus ipse coepi in gymnasio docere... Summae erant molestiae mihi: nemo attentus, nemo docilis, nemo benivolus. Ha! Ha! Nemo me audire voluit. Ego iam paene in summam desperationem incidit. Tunc mihi nescio quis deus constitum susurrando inflavit in auriculam: «Loquere Latine!» Ego coepi igitur: «Quid facitis, scholares? Quid agitis discipuli? Cur non attente me auditis?»... Summum silentium! Omnes tamquam fulmine tacti! Ora aperta, aures adrectae (risus), et tunc ego per summum silentium, per summam commoditatem, meas scholas praelegere potui, Latine. Dicere non possum quanta inde admiratio secuta sit; et id non didiceram, aut minima fuerat exercitatio in universitate, sed inde mihi erat minima haec consuetudo Latine scribendi potius quam loquendi, et hoc sufficiebat! Sufficiebat! Et omnes discipuli me attentissime audiebant.»

Rettulit Gaius LICOPPE

POESIS LATINA

DIES CINERUM

Quis credat? Cinerum dies amara
irrisa est tenui tepore solis.
Ver praecox ubicumque iam cachinnat,
omen dulce homini sacrae iuventae.
Cur, mi parve puer, nigrum sigillum
in fronte imposuit tua sacerdos?
Terge illud cito. Parce ei severo
qui non amplius est puer beatus.
obliviscere, lude, laetus esto,
pulchri pars redeuntis apparatus
naturaeque novi comes triumphi.
Tempus dum indomitus domas iocando,
me solum sine ponderare maeste
haec praesagia pulveris silentis.

Iosephus TUSIANI
Neo-Eboracensis

LOQUERISNE LOJBANICE ?

Inter linguas artificiales, quae totius orbis terrarum communes esse volunt, notissimae sunt linguae q.n. Esperanto et Volapuk. Nova quaedam nunc crescit in America, qua vetus somnium linguae universalis adhibendae efficiatur: linguam dico, quam vocant «Lojban».

Ante 35 annos sociologus quidam universitatis Floridiana, Brown nomine, prima instituit elementa huius linguae quam voluit omnino logicam, quae omni ambiguitate careret nec penderet ex ullo cultu civili.

Quid de hac lingua Lojbanica? Imprimis est lingua diabolice accurata. Ecce exemplum, quo fames vobis excitabitur: notissimus cibus Americanus, c.n. «hamburger», Lojbanice dicitur «zalbakre'u», in quo verbo homines subtiliores distinguere possunt verba «zalvi» (i.e. minuta), «Bakni» (i.e. bos) et «rectu» (i.e. caro). Poma fricta, quae insuper praebentur, dicuntur «rasyjukpypatlu», e verbis «grasu» (pinguamen), «jukpa» (coquere) et «patlu» (poma terrestria). Bene sapiat!

Iudicasne hanc linguam barbaram? Barbare tu ipse, nihil intellexisti! Lingua enim Lojbanica, ut eius conditores asseverant, est «dulcis, rhythmica, fere similis linguae Italiae». Quid de pronuntiatu?

Est facillimus! De vocabulis? Oriuntur e sex linguis in orbe terrarum usitatissimis: Sinica, Anglica, Indica, Russica, Hispanica, Arabica. In Lojbanicum vertamus, exempli gratia, hanc sententiam: «Explicatio simplicissima saepe est optima». Lojbanice dicendum est: «Roda poi velcksi so'eroike ganai sampyra! gi xagrai», id quod significat: «Omnes res quae sunt explanationes, pleraeque sunt, si superlative simplices, ergo superlative bonae». Simplicissimum, nonne?

Ergo haec lingua nova magnas habet virtutes: est universalis, facilis, logica, musica, amoena, simplex, attractiva. Et quot homines ea uti sciunt? ... Quattuor (sed tres iam faciunt collegium, secundum proverbium bene notum). Qui circum Lojbanice loquentium condiderunt in urbe Vasintonia (v. Washington), moderante Roberto Le Chevalier. Eis est labor non parvus: nam neque grammatica neque lexicon adhuc sunt completa. Exempli gratia, nondum invenerunt verbum, quo sciurum designarent. Utuntur ergo periphrasibus, sed, ut ipsi fatentur: «Collocutor credere potest me de catta mea loqui!». Nolunt tamen desperare: mox, aiunt, haec lingua erit lingua officialis totius mundi et, imprimis, totius Europae. Quod di prohibeant!



*Loquenturne tria miliarda hominum
max Lojbanice?*

Francisca DERAEDT

HAC NOVA REGULA (30 cm.)

discipuli, magistri, omnes profiteantur se Latinitati favere!
Pretium: 50 FB (videatis paginam mediam)

L I N G U A M L A T I N A M





EX ORBE LATINO

LECTORES AD NOS SCRIBUNT

Genovefa Immé, moderatrix commentariorum q.t. «M.A.S.», serius certior facta est de emissionem quadam televisifica die 17 mensis Aprilis circa mediam noctem proposita in televisione Francogallica. Agebatur autem, Friderico Mitterand moderante, de Latinitate atque Paulus Guth scriptor, qui erat particeps, de periodico «M.A.S.» locutus est. Ergo Genovefa Immé hanc emissionem libenter spectabit lectoresque interrogat: «*Si quis in televisione Francogallica, in canali «Antenne 2» inscripto, emissionem, cui titulus «Du côté de chez Fred: Spécial Latin» et quam moderabatur Fridericus Mitterand, in caseta (vel phonocaseta vel visocaseta) impresserit et exemplar mihi reficere voluerit, ego eam mihi libentissime parabo et nummos casetae solvam. Prudentius, ut liquet, erit mihi prius scribere, ne duo vel tres telespectatores simul casetas mihi mittant.*» Haec est eius inscriptio cursualis: Genovefa Immé, 21 Boulevard Recteur Sarrailh, F-64000 Pau. Melissa gratias agit lectoribus, qui huic eximiae amicae auxilium ferre poterunt.

Iohannes Ludovicus Rossion (qui linguam Latinam docet in Instituto Sacri Cordis in urbe La Roche) linguam Latinam vivo modo iam diu docet: «*Exemplo vix recepto, cum discipulis meis (quattuordecim- duodeviginti annos natis) libelli «UBI SUNT?» Christiani Verbist auctoris aliquot paginas legi. Scribo «legi» quia textum Latinum in Francogallicum discipuli non verterunt, ut solent, sed veram ex auditione comprehensionem fecerunt. Fere enim undecim ex annis, una cum discipulis meis id genus exercitationis fructuosissime ago. Lingua Latina sicut linguae modernae (vivae!) disci aut doceri potest. Si videntur textus Caesaris aut Maronis, Flacci aut Ciceronis merito egregissimi toteque necessari, attractiva etiam opera moderna iuvenibus sunt. Ideo vobis, Domino G. Licoppe Dominaeque F. Deraedt qui hanc fabulam in Latinum vertistis, gratias maximas agimus. Utinam multos textus modernos vertatis ad maximum oblectamentum nostrum! Nunc, ad epistulae destinatum advenio: discipuli mei fabulae «UBI SUNT?» studiosissime faverunt voluntque consequentiam rerum cognoscere. Ergo velim vos ad nos missuros duodeviginti exempla fabulae «UBI SUNT?» Valet.*» Haec epistula nobis fuit pergrata; nam homines libenter audiunt fructum sui laboris nonnullis utilem et iucundum videri. Aliud opus recens et amoenissimum ei discipulisque eius commendamus, quod conscripsit doctrix Sigrides Albert: titulus est «*Apologi Grimmiani*» (venumdatum apud Societatem Latinam, Universitât des Saarlandes, FR. 6.3, D-6600 Saarbrücken 11).

Amicus noster **Clemens Desessard** Francogallus nobis modo photocoplam misit litterarum, quas a professore quodam Dacoromano, nomine **Iohanno Leric** accepit: «*Si velitis, inquit, illas edere possitis: nonne eadem linguam Latinam Urbi et Orbi, etiam in pessimis condictionibus, vigere posse probant?*» Quam epistulam ergo libentissime divulgamus: «*Ex longinqua Dacoromania, ubi lingua Latina diu relegata fuit ab odioso dictatore, mitto vobis conversionem carminis poetae Dacoromani coevi Petre Ghelmez. Est laudatio amoenitatis et potentiae argutae linguae Dacoromanae, nostri thesauri in vetustate infusi:*

LAUS LINGUAE DACOROMANAE

Sine me, in patria verborum,
Nunc ut peragrem,
In patria carminum, susurrorum,
murmurum...
Una voce mentis
Caelum terramque
Cum aureo cingulo molliter iungam,
Sensus annosi
et praesentes,
Super cristas albentes temporis,
Infatigabiles, percurrant.
Sine me, ut caritatem meam erga te,
Erga patriam, erga matrem et fratrem,
erga volatum
desiderium nominem...
Sine me, ut fultus in foribus locutionis,
fluitem super nubem,
Ut colles sonituum ascendam,
ut descendam,
Ab limine nemoris,

Ad fines arvi, ad radices montis,
ad portas paradisi.
Sine me, ut ardorem ideae
in ista regione siderea eveham,
Ut obscuritatem limitem,
Ut sapientiae testis et immensitas sim!
Ehem! quam dives, quam pauper
Est animus meus incensus fervore...
Ehem! quam propinquum verum
universi verborum, quam evidens!
Pereant montes, pereant campi,
Pereant quercus et aquae...
Ipsa, si velint, pereant saxa!
Si accidat,
Ut nobis in oculis nihil maneat,
Iterum attollemus, turres in solem -
caminos,
Ex hoc vigore, semper nobis domino,
Permunda, victore per cantum,
Patria ex lacte materno - lingua
Dacoromana.»

In Latinum vertit
Iohannes LERIC Dacoromanus

DE LINGVAE LATINAE LIBITINARIIS

Thomas Galo suo s.p.d.

Petivisti a me, ut de sessione Academiae Latinitati Fovendae diebus 19 et 20 mensis Aprilis Romae habita ad Melissam aliquid scriberem, et in priore epistula tibi promisi me id esse facturum, quamquam iam mihi venerat in mentem melius esse tacere quam male loqui aut scribere.

Ea septimana, qua sessio fiebat, in urbe Roma tempestas erat pessima, nam urceatim pluebat, quo certe factum est, ut rariores in collem Aventinum socii ascenderent. Praesciebam vivae Latinitatis fautores plerosque eiusdem diebus impeditos esse, quominus conventum Romanum participarent, quia Hamburgensis Officina Latina tum ipsum fieret. Me etiam praemonuisti fore, ut solus Latinitatis vivae signifer in sessione Romana essem.

Sum Academiae socius ab anno 1969, quo sessionem annualem primum participabam. Bene memini iam tum linguam Italicam in colloquiis praevaluisse, quamquam relationes et orationes Latine legebantur. Iuvenis ut eram, multum mirabar, quod aderant quidam, qui Latine loqui vix sciebant, quamvis in Academiam Latinitatis essent cooptati. Multis de causis factum est, ut diu sessiones Academiae participare non possem.

Hodie condicio vivae Latinitatis in Academia eadem est, si non peior, quam viginti fere annis ante. Orationes et relationes, quae potuerant praeparari, Latine fiebant, sermones et colloquia Italice. Certe libentissime Italice loquor, nam Italiam velut alteram patriam habeo. Sed cum Academiae Romanae socii iam nomine eiusdem ad Latinitatem fovendam obligati sint, cur non colunt vivum huius linguae usum? Hoc miranti mihi responsum est a quodam socio (nomen sit odiosum) Academiam non esse conditam vivae Latinitati fovendae.

At si res ita se haberet neque vivus usus ad Academiam pertineret, tum habenda esset linguae mortuae academia eiusque socii velut libitinarii, quorum esset cadaver mortuum sepeliendum curare.

Novus Academiae praeses, professor Vincentius Ussani, vir humanissimus, conventum optime praeparaverat, sed nihil facere potuit, cum socii identidem sermone Latino deserto Italice loqui inciperent. Neque credo illos hoc mala fide fecisse, sed simpliciter ideo, quod Latine minus sciebant.

Lecta est ab Osvaldo Dilke epistula, quam Caelestis Eichenseer Vincentio Ussani aliisque sociis 12.03.1990 miserat, ex qua potissima repeto: «Sed etiam sodales Latinae academiae nostrae Romanae non ita facile adducuntur et inducuntur, ut secundum leges eiusdem Academiae usui linguae Latinae recuperando plus faveant eundemque ipsi de die in diem plus exhibeant, propter quam rem efficiendam Latina Academia Romana tunc temporis, id est anno 1967, condita est. Hanc difficultatem sodalium nostrorum academicorum denuo cognovi et animadverti, cum protocollum recentissimum attente diligenterque perlegerem... Quid autem proderunt novi sodales divulgationibus scientificis perinsignes, si vix unum verbum Latine proferre sciunt? Satis quidem multae academiae aliae exstant, quarum sodales tantummodo linguis "nationalibus" utuntur. Ibi illorum investigatorum et professorum et doctorum est et sit, qui Latine loqui nesciunt, Latine loqui, Latine disserere nolunt.»

His verbis Caelestis rem velut acu tetigisse videtur. Nisi Academia Romana sociis Latini sermonis gnaris cooptatis renovata erit, periculum erit, ne fiat conventus libitinariorum cadaveri mortuo efferendo.

Iam desinam, nam praestat tacere...

Alia de consessu Academiae non iudico esse scribenda, praesertim cum postero die (20.04) imbre diluviali impediabar, quominus temperi in Institutum Studiorum Romanorum, quae sedes est academiae, pervenirem. At tu hanc epistulam, si tibi visum erit, pro mea relatione publicato!

Vale!

Thomas PEKKANEN

SCHOPENHAUER DE LINGUA LATINA

Arthur Schopenhauer (22.2.1788-21.9.1860) de lingua Latina hoc modo iudicat (Schopenhauers Werke, Bd. 5, Parerga und Paralipomena, II Teil, Kapitel XXV, Über Sprache und Worte, p. 623, Leipzig, s.a.): «Der Mensch, welcher kein Latein versteht, gleicht Einem, der sich in einer schönen Gegend bei nebligem Wetter befindet: sein Horizont ist äusserst beschränkt, nur das Nächste sieht er deutlich, wenige Schritte darüber hinaus verliert er sich ins Unbestimmte. Der Horizont des Lateiners hingegen geht sehr weit, durch die neueren Jahrhunderte, das Mittelalter, das Alterthum. - Griechisch oder gar noch Sanskrit erweitern freilich den Horizont noch um ein

Beträchtliches. Wer kein Latein versteht, gehört zum Volke...» Qui Latine non intellegit, similis est homini, qui in regione amoena nebulis circumdatus ambulat. Prospectus oculorum eius est angustissimis finibus circumscriptus, nihil nisi proxima clare cernit, paululum progressus in devia aberrabit. Latinista autem per saecula recentiora, per medium aevum, per antiquitatem procul prospicit. - Verum est, quod Graeca aut etiam Sanscritica prospectum nostrum adhuc magnopere amplificant. Qui Latine nescit, ad vulgus pertinet.

Milena MINKOVA et Thomas PEKKANEN

AB OBLIVIONE VINDICENTUR...

BERNARDINUS RAMAZZINI MEDICUS ET SCRIPTOR LATINUS



De morbis artificum. XVI: De morbis tabacopoeorum (passim)¹

Verum a tam sordidis et graveolentibus officinis ad nasorum delicias nostrae huius aetatis, si lubet, divertamus, ad officinas scilicet ubi tabacum (liceat mihi hoc vocabulo uti quando iam civitate donatum est) parari solet. Huius saeculi (saltem in Italia nostra) inventum seu vitiosa consuetudo est pulvis iste ex herba nicotiana compositus, nihilque eo frequentius est cum mulieribus, tum viris, pueris quoque, ut illius emptio inter quotidianas familiae impensas numeretur. Quales ergo noxas tum capiti, tum stomacho affligat pulvis iste ex tabaco, satis norunt ipsi tabacopoei dum illum praeparant. Inter alias merces, quae ex Liburnico Etruriae portu ad nos deferri solent, placentae quaedam ex praedictae plantae foliis in funem convolutis concinnatae reperiuntur, quas operarii explicant, evolvunt ac molae subdunt ut in pulverem redigantur; dum autem equi oculis obductis molam circumagunt, operarii adstantes, qui tabaci folia molae identidem subdunt, antequam assuescant, magno capitis dolore, vertigine, nausea et continua sternutatione temptari solent. Tanta enim ex illa tritura partium tenuium (aestate praesertim) diffunditur exhalatio, ut tota vicinia tabaci odorem non sine querimonia et nausea persentiat. Equi ipsi quoque molam circumagentes frequenti capitum concussione, tussi et exsufflatione acrem et infestam tabaci exhalationem illam attestantur. Puellam Hebraeam novi (tabacopolia enim in tota fere Italia, sicuti multi alii publici proventus "locantur Iudaeis, quorum cophinus faenumque supellex"²) quae tota die ad explicandas placentas istas ex tabaco incumbens magnum ad vomitum irritamentum sentiebat et frequentes alvi subductiones patiebatur, mihi quoque narravit vasa haemorrhoidalia multum sanguinis profudisse cum super placentas illas sederet.

(...)

Neque vero quis putet tam celebrem plantam, reginae titulo donatam, Europaeis omnibus adeo gratam, multoque magis iis dictionibus ubi inter magnos proventus tabaci usus recensetur, infamare me velle. Multa a clarissimis scriptoribus de nicotianae facultatibus litteris prodita fuere ac merito inter plantas medicas locum suum meretur; solum illius nimis usus ac intempestivus damnandus, qui efficit ut variam sortem experta fuerit ac tantundem bonae famae, quantum malae illi obtigerit. Multum salis volatilis tabaci foliis inesse, vi cuius abstersivam et

traumaticam vim possideat, acidum luxurians compescendo, experientia satis comprobatum est; hinc illius decoctum in empyemate magnis laudibus ac pro secreto commendatur ab Epiphanio Ferdinando³. Tabaci folia itidem masticata copiosum phlegma educere nihil vulgo notius est ac nihil frequentius; non levis tamen error in hoc committitur. Nam non aequae in omnibus salutaris est huiusmodi masticatio et tam copiosa lymphae eductio; in corporibus enim obesitas, et ubi crassi suci abundant, pulvis ex tabaco et illius usus utilem praestabit operam; non sic autem in iis qui bilioso et praefervido sunt temperamento praediti, ut scite advertit prae ceteris Guglielmus Piso³.

(...)

Quoniam ex odoribus cum ingratis, tum suavis, artificibus, qui illos tractant, non levia incommoda proficiscuntur, nescio qualis lubido me incusserat ut hic loci non iniucunda parebas pauca quaedam de odorum natura perstringerem; verum huiusmodi provinciae amplitudo me deterruit, veritus⁴ quippe ne si in illam pedem immitterem, argumenti iucunditas nimis longe a proposito me abriperet. Huiusmodi ergo meditationi paulisper insistens ac observans⁴ multa quidem de odoribus tum ab antiquis, tum nostrae aetatis philosophis ac medicis passim litteris fuisse prodita, sed particularem et absolutam historiam de odoribus in scientia naturali adhuc desiderari, propterea mihi in mente observari visa est idea, qua odorum historia naturalis et medica conscribi posset, odorum naturam iuxta recentiorum et antiquorum placita philosophica perpendendo, una cum illorum differentiis ac distinctionibus in suas classes, proprietatibus, idiosyncrasiis, causis, natali solo, compositione, mixturis, sicque de re unguentaria antiquorum, exinde procedendo ad medicamenta ex odoribus petita, unde spirituum medicina iuxta modernos ortum habuit, postremo ad odores biblicos recensere⁴, quorum mentio fit in sacris codicibus et quibus utebantur Iudaei in sacrificiis, ad eos quorum apud varias nationes, Graecos, Romanos, Aegyptios, Indos erat usus in suffitibus et expiationibus, ad placandos et evocandos deos. Quare materiam amplam visus sum subolfecisse tractatum conscribendi, universalem odorum historiam complectentem, ut unico opere, quod sparsim dictum est et quod mihi per varia experimenta observare contingeret, haberetur. Olim Petrus Servius⁵, medicus Romanus, in sua elegantissima "Philologica de odoribus dissertatione" tractatum physicum de odoribus pollicitus

est, sed quantum scire licuit fidem suam non absolvit; meam tamen pro tali molimine, "quod plus temporis atque olei plus exposceret"⁶, hic oppignerare non intendo. Multa enim sunt quae e longinquo ac primo adspectu plana et facilia videntur, sed postmodum ardua et praerupta deprehenduntur; scite profecto poeta: "Tollimus ingentes animos et maxima parvo tempore molimur."⁷

*
* *

"De morbis artificum" quod inscriptum est opus, e quo frustra ista tibi, benevole lector, selegi, in ipsis saeculi XVIII incunabulis Patavii est editum atque inde totam per Europam sive Latine, sive peregrinis linguis divulgatum. Ipsius scriptor et auctor Bernardinus Ramazzini (Carpilii, 1633 - Patavii, 1714), medicus, academicus professor Mutinensis et Patavinus, epistolarum tractatumque scriptor plerumque luculentus, interdum artificiosior, bonis artibus certe instructissimus. Nam haud secus ac Iosephus ille Favaro, quem superiore "Melissae" libello attigi, versibus etiam condendis sese dedebat, testibus primitiis quae inscribuntur "De bello Siciliae, cento ex Virgilio..." (Mutinae, 1677).

Id utut est, tractatus ille, quem dixi, magni est ponderis et momenti, ut qui inter prima numeretur opera quibus artificum morbi ex ratione sint descripti. Idem num sit "il primo trattato di «medicina del lavoro» dedicato alle malattie professionali" dubitare licet. Fuerunt enim dubio procul, qui Ramazzino ceterum eruditissimo viam straverint, veluti Marsilius Ficinus in "De vita libris" a nostro memoratis, necnon Cornelius ille (vulgo Cornaro), cuius "De vita sobria" tractatum apud nostrates est imitatus Leonardus Lessius, et Ramazzinus ipse adnotationibus instructum in lucem denuo edidit. Fateor vero plurimum hic artificum morbos describi, quibus erat medendum, ut metallorum fossorum, vitrariorum, litteratorum, aliorum.

Index verborum quae desunt in Thesauris L.L. et in Lexico Forcelliniano

tabacum, -i, n.
tabacopoeus, -i, m.
tabacopolium, -i, n.
nicotianus, -a, -um
nicotiana, -ae, f. (= herba nicotiana)
abstersivus, -a, -um
haemorr(h)oidalis, -is, -e
idiosyncrasia, -ae, f. (= *ιδιοσυγκρασία*)

APPENDIX: Scriptorum quae ad tabacum referuntur index: auctarium II

Consulas: (1) I.D. McFarlane, "Tobacco - A Subject for

Poetry", in D.H. Green, L.P. Johnson, D. Wuttke (edd.), From Wolfram and Petrarch to Goethe and Grass. Studies in Literature in Honour of L. Forster, Saecula spiritalia, 5 (Aureliae Aquensis, 1982), pp. 427-441 (2) T. Sacré, "Quid poetae scriptoresve de tabaco senserint vel scripserint", Vox Latina, 22 (1986), 540-545 (3) Id., "De tabaco quid senserint vel scripserint scriptores neolatini: auctarium", Vox Latina, 25 (1989), 88-90.

J. Neander, Tabacologia, hoc est tabaci seu nicotianae descriptio medico-chirurgico-pharmaceutica... (Lugduni Batavorum, 1622).

Mich. Etmullerus (Etmüller), "Tabaci historia", in: Opera omnia (Francofurti, ed. posth. 1698).

Ioh. Bapt. Helmontius (Van Helmont), Ortus medicinae (Amstelodami, 1648), passim.

Rich. Mortonus (Morton), Phthisiologia seu exercitationes de phthisi tribus libris comprehensae (Francofurti et Lipsiae, 1691), passim.

Theoph. Bonetus (Bonnet), Sepuchretum sive anatomia practica... (Genevae, 1679), passim.

Epiphanius Ferdinandus, Centum historiae seu observationes et casus medici, omnes fere medicinae partes... continentes (Venetiis, 1621), passim.

Guilielmus Piso, De Indiae utriusque re naturali et medica libri XIV (Amstelodami, 1658), passim.

Vopiscus Fort. Plempius, De togatorum valetudine tuenda commentatio (Bruxellis, 1670), passim.

Adnotationum

(1) Cfr Scienziati del Settecento, a cura di M.L. Altieri Biagi e di B. Basile (La letteratura italiana, Storia e testi, 45) (Mediolani et Neapoli, 1983), pp. 529-606 (pp. 569-579). Orthographiae legibus hodiernis parui.

(2) Non viderunt editores versum hic afferri Iuvenalianum (Iuven. 3, 14).

(3) Cfr Appendix.


(4) Anacoluthon.

(5) Medicus (obit anno 1648); dissertatio eius Romae anno 1641 prodit.

(6) Cfr Iuven. 7, 99.

(7) Cfr Vagellius (W. Morel, Fragmenta poetarum Latinorum... (Lipsiae, 1927), p. 124).

Theodoricus SACRE



LYRICA BULGARICA

Dies novus dilucescit
nebulis fugatis,
volitant papilliones
alis argentatis.

Expergiscitur natura,
vitro tinniente
volitant papilliones
leves, laeta mente.

Lucent luces matutinae
smaragdis micantes,
volitant papilliones
alis coruscantes.

Somnolentis hortis lucet,
omnis gutta roris
repercutit firmamentum
caeruli coloris.

Solis radius auscultat,
hymnus vitae sonat,
verecunde benedicit,
laudem Deo donat.

Expergiscere relictis
vinculis umbrarum,
experrectus enarrato
si quid habes carum.

Imber placidus aestatis
domi meae tinnitavit,
imbre placido aestatis
magna spes nos occupavit.

Imbrem placidum aestatis
audit terra, quae movetur,
imber placidus aestatis
res aestivas fabuletur.

Imbre placido aestatis
lacrimae felices flentur,
imbre placido aestatis
tot fulgores exstinguentur.

Caelum purum panditur,
resonant nunc rura -
procul abhinc anima
est iam abitura.

Tempus undis aureis
dat oblivionem,
in ignotam anima
navit regionem

et ut carmen fluctibus
maris exspiravit,
autumnus assiduus
postquam adventavit.

«Poesis numquam interibit, nam nobis semper credendum est in bonum et in vitam. Omnes homines, non solum docti et urbani sed etiam ineruditi et indocti, super vitam cotidianam exaltari et in alio mundo poetico vivere interdum cupiunt et desiderant.» Haec verba symbolistae Bulgari Nicolai Liliev (1885-1960) ipsum melius quam notae biographicae repraesentant.

Ubicumque Liliev vivebat, domi vel peregre, et cuiuscumque erat condicionis, studens vel scholaris, magister vel officialis, particulas huius mundi poetici creabat. Candidi lili nomine appellatus versus gracillima sua fragilitate liliis similes scripsit. Neque tamen sibi confidebat, cum timeret, ne a lectoribus ita cogitantibus accusaretur: «Cor eius igne divino non ardet, sed semper excruciat in cinere in vestigiis suis relicto, quo neminem fovet.»

Qualis lux versibus Lilievi Bulgaricis spargatur, exemplis Latine versis ostendere volumus.



SIMPLICISSIME

quomodo varia exprimantur

DE ANIMALIBUS CRUCIATIS

Communismo in Europa Orientali senescente, has mutationes consequuntur res interdum inexpectatae: 2.500 canes, qui transfugas a muro Berolinensi prohibebant, munere nunc vacant. Quid de eis? Venumdantur. Quis emet? Fortasse laboratoria quae experimenta faciunt in animalibus. Nam complures centeni miliones animalium scientiae quotannis immolantur.

Hoc tamen est fatendum: multi morbi iam sunt amoti propter experimenta in animalibus facta. Exempli gratia, si vivisectio circa annum 1950 prohibita esset, vaccinum contra poliomyelitidem non esset inventum atque centena milia hominum hoc morbo mortui essent. Sed haec non est causa cur exaggeratio toleretur. Nam experimenta in animalibus saepe fiunt abusive. Haec autem crudelitas, cum pertinet ad cosmetologiam, hominum nec vitae nec bonae valetudini est utilis. In officina quadam bene nota, ut modo est compertum, perpetratus est taeterrimus animalium cruciatus: cuniculorum oculis imponebant lomentum capillare atque cutem eorum radebant linebantque unguentis - unde vulnera et adustiones. Num haec horribilia sunt necessaria? Num utilia?

Ceterum exstant novae methodi, quae vocantur «alternativae»: cellulae humanae imprimis detrahuntur, deinde artificialiter multiplicantur. In his postea fiunt experimenta, quorum exitus insuper sunt multo meliores.

Sed animalia non solum patiuntur scientiae ne-

cessitates. Etiam eorum commercium saepe est res turpis. Mense Ianuario, in aeriportu Bruxellensi, custodes publici reppererunt plus quam sex milia avium in 21 cistulis stipatarum, quae in Belgium illiciter invectae erant. Sub psittacis condita erant avium genera, quorum captura prohibetur. E cistulis oriebatur terribilis odor calorque insustentabilis. Avium dimidia pars iter ferre non potuerat atque mortua est; tamen fere mille quingentae aves ad suam regionem remissae sunt, i.e. ad Malliam (v. Mali). Ibi autem auctoritates sunt consciae huius commercii: hac de causa associationes defensoriae maximas habent difficultates. Quae denique nos obsecrant ne aves exoticas emamus: nam, pro singulis avibus in cavea inclusis, quinae moriuntur.

Quid denique de amicis nostris quadrupedibus? Suntne feliciores? Hoc sperare licet. Caveamus tamen ne eis imponamus nostrum humanum vivendi modum, ne eos anthropomorphismo afficiamus. Nam mirae res «aristocattis» et «aristocanibus» nostris proponuntur. Exemplum praebebo: habetne canicula tua indolem pudicam? Offeras ei latrinam automaticam, cattis canibusque specialiter excogitatam. Pretium est... sed is qui canem suum amat non cogitat de pretiis. Etiam eius diaeta est curanda. Quomodo? Facile! Exstant nunc machinae quibus cibi automaticae distribuuntur: hoc modo Milulus tuus comedit id quod decet, nec plus, nec minus. Qualis vita canina!

Francisca DERAEDT



HERGE, *De Titini et Miluli facinoribus. De Insula Nigra.*
in Latinum convertit C. EICHENSEER, ELI/Casterman 1987.



AMBULATIO POMPEIANA

Si quis Pompeios nondum lustravit, currat: nam propter clima, periegetarum frequentiam inquinatio- nemque aeris timendum est ne urbs antiqua mox iterum moriatur. Sed primum adeat Museum Natio- nale Neapolitanum ubi servantur pleraeque picturae, statuae et ornamenta quae Pompeiis sunt inventa: quibus visis melius sibi fingere poterit qualis revera fuerit urbis aspectus.

Alia etiam de causa urbs magis magisque dilabitur: anno enim 1980 Campania magnum passa est terrae motum, quo plurima aedificia antiqua sunt deleta. Stabiae, exempli gratia, erat pulcherrima villa, villa Sancti Marci, optime servata; propter terrae motum colum- nae, parietes, omnia destructa sunt. Archaeologi operam desperanter dant ut res quam op- time reficiantur. Pompeiis etiam multa anno 1980 deleta periege- tis ab hoc tempore non iam os- tenduntur. Moenia, in quibus, si ea circumire adhuc posses, vestigia videres Syllae impe- tum, nunc derelicta herbis op- pugnantur. Propter periculum nec turres iam ascendere licet, nec scalas paucarum domorum quibus secundum tabulatum servatum est. Multae domus, quas reficiendas curant, sunt clausae; nobis licuit unam in- trare, in qua duo pictores cona- bantur parietum ornamenta renovare. Longum ar- duumque opus!

Ceterum periegetis hodie vix licet unam alliamve domum intrare. Non mirum. Nam inter titulos ab hominibus illo tempore ubique inscriptis, quibus urbs abundat, nonnulli oculis incredulis legi possunt: "Marcus hic fuit anno 1978" scriptum est in pulchra quadam pictura antiqua; in alia, Anglice: "Petrus Mariam amat" (nesciebam Romanos linguam Angli- cam calluisse). Propter hos indignos homines domus Pompeianae paulatim sunt claudendae. Quarum tamen lustratio non omnino vetatur: satis est custo- des rogare ut portas aperiant; sed non plures intrare sinunt quam duos vel tres homines, ita ut vandalos melius speculentur.

Periculum est ne aliquando nihil supersit viden-

dum: ergo curratis. Percurratis viam post viam, perlustretis hanc urbem quae ex cineribus fere immu- tata renata est.

Is enim qui inter Pompeiorum vestigia ambulat sibi videtur ad aetatem Plinianam revector esse: vias




Cineres ita texerunt corpora ut concresecendo imitarentur formam corpo- rum quae postea sunt combusta. Manebant ergo in lapide, non corpora ipsa, sed foramina quae formam corporum praebebant. Anno 1863 ar- chaeologo Iosepho Fiorelli in mentem venit gypsum infundere, unde obtinuit illas formas quibus homines conspiciuntur morientes. Hic homo, qui cecidit in scalis, inventus est in domo Fabii Rufi.

sequitur intactas, tabernas, domos praeterit, res cottidianas in situ conspicit quibus clare ostenditur vitam hic aliquo die aestivo esse subito abruptam. Etiam cadaverum formis monstrantur habitus homi- num, quos in fuga mors improvise deprehendit.

Nam urbs, miro subitque modo mense Augusto anni 79 p.C.n. sepulta, post plurima saecula inventa est talis qualis erat ipso die quo mons Vesuvius ignem prodidit. Plinius Iunior, testis eruptionis, diu fuit fere solus, qui duabus epistulis ad Tacitum missis urbes Vesuvio proximas ab oblivione vindicaret. Nam post eruptionem herbae vitesque loca paulatim invaserunt et mox nemo iam scivit ubi fuisset urbs Pompeii. Duo- devicesimo tantum saeculo incohatae sunt effossio- nes archaeologicae.

Hodie ipsis Pompeianis mortuis testibus uti pos-



Hic fuit aspectus Vesuvii ante annum 79. Quia vitis in eo colebatur, Bacchus in anteriore parte depictus est. Haec pictura Pompeii inventa est atque Neapoli servatur in Museo Nationali.

sumus: nam et de morte Pompeiorum et de vita antiqua cottidiana plurima ex his discuntur.

In villa Fauni, homines res suas deserere non sustinebant. Domina properavit aurum gemmasque suas colligere: armillaria, annulos, inares, acus comatorias, bursam nummis plenam. Cum denique fugere voluit, cineres violentius cadebant. In tablinum ergo refugit, id quod non fuit bonum propositum, quia tectum paulo post in ea collapsum est. Hoc modo mortua est domina unius e maximis pulcherrimisque domibus Samnitico tempore (i.e. secundo saeculo a.C.n.) exstructis. In limine hoc verbum iucunde legitur: HAVE. Pretiosa quae inerant opera musiva nunc servantur in Museo Nationali Neapolitano: inter quae notissima "Alexandri pugna". In ipso loco adhuc conspiciuntur pavimenta marmorea, operibus musivis ornatis, lararia tectorio confecta. In uno ex domus impluviis adhuc monstratur statua aenea Fauni, e qua domus nomen accepit; sed est exemplar imitatum: Faunus ipse etiam est in Museo Nationali.

Aliis in villis homines eodem modo mortui sunt. Villa Diomedis erat cryptoporticu ornata, ubi servabantur vini amphorae. Pater familias putavit hanc cryptoporticum suis auxilio esse posse atque totam familiam ibi collocavit: uxorem filiamque auro exornatas, filium atque puellulum cum quattuordecim famulis. Pater familias eis praebuit panem fructusque quibus expectarent finem pluviae pumiceae. Ipse nummos aureos argenteosque condidit in saccum et, clave sumpta, ianuam cum servo petivit. Ceciderunt in limine, cineribus suffocati. In cryptoporticu autem puella frustra conata est faciem tunica protegere: neque illa neque alii gasa ferre potuerunt. Eorum cadavera inventa sunt in hac pulchra nobilique domo, natabulo necnon maximo horto praedita, quam infeliciter nunc temporis invisere non licet.


In castris gladiatorum eis, qui erant in vinculis, nemo salutem tulit. Alii in conclavia confugerunt.

Vita ita functi sunt 63 homines, inter quos... mulier quaedam nobilis pretiosissimis gemmis exornata, quae fortasse huc venerat ad unum ex harenae heroibus salutandum.

Ita perierunt Pompeiani, cum die 24 mensis Augusti anno 79, ut Plinius narrat, ignotam inexpectatamque cladem passi sunt. Vesuvius enim nihil erat nisi mons ut alii tranquillus, ubi vitae usque ad summam partem colebantur. Quorum vinum celeberrimum condebatur in amphoris verbo, quod est Vesvinum sive Vesuvinum, signatis. Nullus ergo erat montis timor, cum, die 24 mensis Augusto... Ille dies fuit

primus longae seriei. De prioribus eruptionibus desunt documenta. Anno autem 1631, mense Decembri, Vesuvius postquam 130 annos quievit iterum expergefactus est. Iam nonnullis septimanis ante fuerunt praemonitus: putei siccescebant, canes noctu ululabant. Die 16 mons ignes evomuit; quattuor milia hominum, sex milia animalium perierunt. Postea ignes, usque ad annum 1944, saepe erupuerunt. Nunc placatus non iam praebet amoenum aspectum, quem aliquando habuit, sed tectus est lavis pumicibusque, magnarum cladum testimoniis.

Francisca DERAEDT



Excursiones ad Vesuvium inspicendum iam a XVIII saeculo factae sunt; in initio homines sive mulo vehabantur sive in sellis transportabantur; anno 1880 tramen funiculare est constructum, cuius haec imago fuit praeconium.



DE SEDITIONE A POPULO IN ROMANIA FACTA

Recenti articulo demonstravimus seditionem a populo Romaniae factam fuisse legitimam et milites, qui Nicolaum et Helenam Ceausescu interfecissent, egisse legitime. Lex enim naturae nec tyrannum interficere nec rem publicam in pristinum iuris statum redigere vetat, sed contra imperat, ut cives rem publicam integram restituant et tyrannum amoveant. Quod dum fit, non fit revolutio: revolutio enim et maxima celeritate et summa vi rem publicam istam miserrimam evertere et novam instituere conatur, seditio autem id agit, ut res publica nunc perversa in pristinum restituatur iuris statum, qui erat bonus. Ergo et in Romania et in Germania Orientali et in Hungaria et in Cecoslovacia non erant annis 1989-1990 factae revolutiones, sed seditiones - quae inter se stricto politologico sensu maxime differunt.

Cum nunc de Romania ago, sequar praecipue articulum, quem Nicolaus Tertulian conscripserat (Neue Zürcher Zeitung, Fernausgabe Nr. 64, 18-19/3/90, p. 7): quo articulo meliorem compositionem inveniri non posse cum persuasum mihi sit, illius dicta quaedam in Latinum sermonem versa lectoribus carissimis afferam (sed certo sciant lectores non ad verbum me vertisse, sed sensum illius scriptoris verborum allaturum esse).

Sola in Romania seditio fuerat violenta: cum enim neque in Germania Orientali neque in Cecoslovacia interfectus esset quisquam de causis politicis, in Romania pugnae sunt factae, quibus inter se agentes «Securitatis» quam vocabant et milites qui cives defendebant proeliabantur: quae pugnae et post mortem tyranni factae sunt. Cuius regimen variis ac diversis institutionibus fultum explicari potest multis e rebus, inter quas haec praesertim nominandae sunt:

- 1) Stalinismus redivivus ipso Stalino crudelior
- 2) schola agentium Securitatis (qui fascistas se gerebant)
- 3) nationalismus Romaniae quasi fascisticus
- 4) tyrannis totius familiae, id est sororum fratrorum cognatorum uxoris et tyranni ipsius, per totam Romaniae terram
- 5) curae per agentes agenda in tota Europa et in toto mundo
- 6) veneratio quasi religiosa Ceausescu ducis qui Romaniae lingua «conducator» magnus nominari voluerat
- 7) megalomania ducis istius (qui titanus appellari cupiverat)
- 8) interdictum librorum et actorum diurnorum et ceterorum Occidentis (et Orientis!) scriptorum
- 9) persecutio populorum in territorio Romaniae multorum inter quos Iudaei Turci Bulgari Hungari Ger-

mani

10) persecutio Iudaeorum Christianorum omnium fidelium.

Quae res breviter explicandae nobis esse videtur.

1) Stalinismi vocabulo nominatur crudelitas politica. Quae quamquam e Marxismi-Leninismi regulis prodierat, tamen non ignoramus tyrannum socialismi vel communismi verbum et laudavisse et neglexisse: nam socialismum instituere nolebat, suam ipsius tyrannidem omnibus praebere volebat, ad quam instituentem socialismi vocabulo abusus est! Nam socialismus quamvis amari non possit aliud est atque Ceausescu tyranni regimen!

2 + 5) Tyranni regimen fultum erat in agentibus Securitatis. Quorum non pauci tyranni impensis educati id solum agebant, ut in verba tyranni iurarent et ad eius gloriam et defensionem obtemperarent. Et ut pro istorum muneribus exemplum proferam: in Bucarestiis urbe subterranei erant facti canales, quibus agentes «ubique» se esse demonstraverant: observabant omnes cives iussu tyranni domos invadebant homines corripiebant torquebant interficiebant. Veri igitur oculi aures manus tyranni nominandi sunt illi agentes.

3) Nationalismo utebantur tyranni maximo. Dacos igitur praecursores tyranni laudabant, quin etiam illos qui ante Dacos in isto territorio vivebant laudibus efferebant. Et alias nationes quaecumque sunt vituperabant...

4) Haec res explicatione non indiget.

6 + 7) Sub Stalino «cultus personae» quem vocabant floruerat in Unione Sovietica. Stalini illo cultu peior erat cultus personae Nicolai Ceausescu: in primis omnium actorum paginis photographema istius viri, qui vocari voluerat: titanus, lux sole clarior, sapiens dux, humanitatis lumen...

8) Homines ne scripta externa legerent impediabantur. Quo e facto videmus tyrannum istum sicut omnes tyrannos pavore et timore permagno imbutum fuisse.

9 + 10) Persequerantur et religiosos piosque et nationes. Et natio Hungarica in Romania tenebat illum pium Dei vicarium Laszlo Tökes, qui principium seditionis indicabat!

LATINITAS - VINCULUM EUROPAE REDINTEGRANDAE

Seminarium Latinum Granvicense diebus 2 et 3 mensis Iulii anno 1990

Si forte iter mense Iulio facietis per Finliam, occasio erit seminarii Latini participandi! Habebitur enim Granvicici (v. Jyväskylä) in universitate - Auditorium L 303 (Aedificium Facultatis rerum gymninarum); cuius hoc est programma:


Lunae die 2 mensis Iulii

- 9-11 h. Lustratio campi academici et Musei Alvaro Aalto dedicati duce Teiva Oksala. Participes conveniunt hora 9.00 in area inter aedificia L et P sita.
- 11-12 h. Prandium.
- 12.15 h.- Inauguratio seminarii: professor Thomas Pekkanen, princeps cancellarius Ministerii Publicae Instructionis Jaakko Numminen, linguae Latinae studens Pia Ahtonen.
- 12.45 h.- Doctor Caelestis Eichenseer, «De Latinitate post medium saeculum XIX inter Europaeos culta».
- 13.30 h.- Doctrix Sigrides Albert, «De sociologia Latina».
- 14.00 h.- Pausa caefaria.
- 14.30 h.- Doctor Petrus Hrandek, «De mathesis elementariae terminologia Latina».
- 15.15 h.- Docens Reijo Pitkäranta, «Addenda lexicis Latinis».
- 16.15 h.- Professor Thomas Pekkanen, «De examine Latino maturitatis anni currentis».
- 17-19 h. Cena.
- 19.00 h.- Conventus, ubi chorus «Milites pauperes» cantiones Latinas cantat. Tesserulas aditiales pretio imminuto vendit Juha Tahvanainen. Fit in Aula Paroeciali Granvicensium (Jyväskylän Seurakuntasali, Yliopistonkatu 12 A).
- 21.00 h.- Convivium Latinum (in aedificio P).

Martis die 3 mensis Iulii

- 8.30 h.- Doctor Gaius Licoppe, «De ortu et abortu motus Francogallici c.n. Vita Latina».
- 9.15 h.- Professor Birgerus Bergh, «Studia Latina Sueciae hodierna».
- 10.00 h.- Pausa caefaria.
- 10.30 h.- Professor adiunctus Paavo Castrén, «De idea Europaea in litteris antiquis et in vita politica posterioris temporis».
- 11.00 h.- Lector academicus Ericus Palmén, «Bellum hibernum - via dolorosa libertatis Finno-rom».
- 13.00 h.- Circumnavigatio per Lacum Päijänne facienda duce Teiva Oksala. Profectio hora 13.00 a portu urbis, reditus ante horam 23.00. Prandium in caupona navis marcis 75 Finniciis constat. Cibus vespertinus sumitur in insula Kankare, ubi Villa Oksala visitatur. In nave concinit grex orchestarum iazzisticus «Reine Rimon and her hot papas».

JYVÄSKYLÄN
YLIOPISTO




SEMINAARINMÄKI

A ATHENAEUM
B KIRJASTO
C PÄÄRAKENNUS
D ERIT. OP., KASV. TIET. JA
ERIT. PED. LAITOSRAK.
F FENNICHUM
H HISTORICA
K NORMAALIKOULU
L LIIKUNTA

M MUSICA
O OPPIO
P PHILOGICA
R RYHTILÄ
S SEMINARIUM
T HALLINTORAKENNUS
U URHEILUHALLIT
V VILLA RAMA
Y YLIOPIPLASTALO

MATILANNIEMI

MaA
MaB
MaC
MaD






LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

10 - 17 m. Augusti anno 1990, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant. Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gatus LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/735 04 08

22 - 28 m. Iulii (nec Augusti, ut falso nuntiavimus) **anno 1990, Morsaci (Morschach) in HELVETIA**

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistrasse, 6
CH-3110 Münsingen
Tel. 031/920823

IN DOMO LATINA BRUXEL- LENSI

(64 bte 74 Avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxelles)
lingua Latina docetur vivo modo: institutio fit omni Mercurii die.
Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.

FERIAE LATINAE

18-25 m. Augusti anno 1990, Nicaeae habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. De Feriis Latinis participandis interrogandus est:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

30 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1990

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Geschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.

SEPTIMANA LATINA : LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

12 - 18 m. Augusti anno 1990, Amoeneburgi. Moderatores invitant ad sermonem Latinum in vita cottidiana exercendum. Etiam res coquinariae Romanae colentur; participes apportent etiam instrumenta musica et photomachinas. De hac septimana interrogandus est:

Robertus Maier
Dresdener Strasse, 10
D-6070 Langen
Tel. 06103-71652